

mortis. Illa dicit ex Joh. 11. Ego sum resur-  
 rectio & vita: qui credit in me, etiamsi mor-  
 tuus fuerit, vivet: Cui hæc respondet ex  
 Job cap. 19. Scio quod redemptor meus vi-  
 vit, & in novissimo die de terra surrecturus  
 sum. Illa nobis dicit ex cap. 43. & 49. Isa:  
 Noli timere, ecce in manibus meis descripsi  
 te. Meus es, & non est qui de manu mea te  
 eruat. Cui hæc respondet: In manus tuas  
 Domine commendo Spiritum meum, rede-  
 misti me Domine Deus veritatis.

### CAPUT XLI.

DE EXIMIA UTILITATE ET EF-  
 ficacia laudis divinæ ac Hym-  
 norum.

Psal. 77. In die tribulationis meæ  
 Deum exquisivi: turbatus sum,  
 & sum locutus. Et meditatus sum  
 nocte cum corde meo: & exerci-  
 tabar.

**H**Æc sententia pulcerrima regula  
 est vitæ nostræ & præsertim cru-  
 cis. Sicut enim verbum Dei canō  
 & norma nobis est cū res secūda sunt,  
 juxta illud in Psal. 32. Instruam te in via  
 hac qua gradiêris, firmabo super te oculos  
 meos; & in Psal. 73. In voluntate tua dedu-  
 xisti

Verbum  
 Dei est  
 regula  
 vitæ, si-  
 dei &  
 crucis.

xisti